

3165

LITURGICI

3166

adtulerit, in Decessorum Adversariis non reperio, nisi Bibliothecam *Fuggerianam Ferdinandi III.* jussu emtam ab eo, et *Augusta Vindel.* huc advectam excipias, qua de re *Lambecii T. I. p. 67.* edit. *Kollar. col. 139.* adiri poterit.

DCCCCXXVII.

- 857 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 41. 12. titulis deauratis eleganter scriptus, Precatorius est continens: *Officium SS. Nominis Jesu cum adjunctis Orationibus, Officium S. Crucis* itidem cum Orationibus.

DCCCCXXVIII.

- 866 Codex membraneus lat. Sec. XVII. Folior. 105. 12. literis characteres *Aldinos* seu *Curfivos Italicos* egregie imitantibus, ut impressas credas, exaratus, auroque fulgidus inscribitur: *Viridarium Animæ ex Variis Authoribus Collectum. Anno Domini 1.6.7.4. die 7. Nouembris. Opera Stephani Zaręba, quem Polonum fuisse* autumo. Insunt porro praecipue: *Meditationes ex Augustino, Anselmoque lectae, Officium Immaculatae Conceptionis B. V. M. Precationes dictae Augustini ad Eandem, Officium de VII. Ejus Doloribus, Exercitia pro Sacramento Poenitentiae et Eucharistiae, Officiumque Defunctorum.* In usum *Principis* haec conscripta fuisse, et *Austriaci* quidem, fidem faciunt a *fol. 55.* Orationes *Regis*

aut Principis, qui Populum regit et gubernat, item quibus foll. 30. p. 2. et 57. p. 2. S. Leopoldus Austriae Marchio colitur. At vero foll. 29. et 49. Princeps hic ipso nomine proditur: Ego Leopoldus. Itaque Εγγεργιδιον istud curatum est anno imperii ejus sexto decimo. Quo anno quid Vir piissimus de Fastigio, in quo eum Deus collocarat, senserit, e Formula, quam adscribo, disce: Omnipotens aeternae Deus! agnosce et vide, quam timendis periculis pro officii mei conditione undique sim implicitus. Scio non esse mihi Dominum, sed seruitutem et officium. Scio, non bruta meae fidei commissa, sed filios selectissimos, illoque Tibi charitatis vinculo conjunctos, ut pro ipsis te morti tradere non dubitaris. Quis ego sum, mi Deus! qui tanto officio satis faciam? Homo sum imperfectus et aeger, falli et errare mihi facile. Populus tuus plurimus est, et in omni loco praesto esse qui possum? Quapropter, o Domine! Te supplex precor, da mihi sedium Tuarum assidricem Sapientiam, mitte illam de Coelis sanctis Tuis, et a sede magnitudinis Tuae, ut mecum sit et mecum laboret, et intelligam et sciam, quid acceptum sit apud Te, ne quid faciam vel in gratiam alicujus, vel in odium, sed secundum veritatem et justitiam sententiam feram. Amen.

DCCCCXXIX.

- Codex membraneus lat. Sec. 867 XVII. Folior. 41. 12. nitidissime

T t 2

exa-